Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

DE

GANGRÆNA ET SPHACELO,

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM, ANGARIÆ, WESTPHALIÆ, & RELIQVA,

PRÆSIDE

IOANNE ADOLPHO WEDELIO,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORE, PROFESSORE PVBL. ORDINARIO, MED. DVC. PROV. SAXO-VINAR. AC CIVITAT. IENENS. PHYSICO,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA, MORE MAIORVM, RITE CAPESSENDI,

SOLEMNI PHILIATRORVM EXAMINI SVBMISIT

CAROLVS GOTTLEBIVS HEERMANN,

FLVRSTADIO-THVRINGVS,

AD D. MART. M DCC XIX.

HORIS LOCOQVE CONSVETIS.

IENÆ, TYPIS RITTERIANIS.

I. N. I.

PROOEMIVM.

EXpectatione ſola qui morbos curare ſatagit, eos tantum eligere debet, qui ſponte ſanantur, medicique opem haud poſtulant. In plurimis enim reliquis cunctando efficiet, vt morbus vel grauior reddatur, vel inſanabilis euadat, vel vitam tollat.

Occaſio hinc potius, quæ præceps eſt, & toties ab HIPPOCRATE commendatur, obſeruanda eſt.

Hæc enim, dum oſtendit, quid quolibet morbi tempore præſente faciendum ſit medico, genuinam expectationem medicam iamdum ſub ſe continet, minimeque concedit, vt præpoſtere agat.

Hinc in morbis acutis grauioribus & periculoſis auxilium conueniens absque vitæ periculo, vel damno irreparabili, differri haud poteſt; in chronicis vero non tam differendũ, quam potius conuenienti tempore ſeu occaſione applicandum, eſt aptum remedium. Hanc occaſionem ſi expectet medicus, id ad expectationem laudabilem & medicam referri poteſt.

Ex periculoſis malis nullam expectationem admittentibus inprimis

mis eſt gangræna eamque negle-ctam, vel contumacem, prompte excipiens ſphacelus, quos affectus ſpeciminis inauguralis loco iam euoluere conabimur. Faxit Æternum Numen, vt id feliciter eueniat.

THES. I.

NOmen gangrænæ, quod a γϱάω, comedo, deriuari volunt, a quibusdam male pro cancro ſumitur, qui a gangræna maxime differt, vt vtriusque phænomena ſatis oſtendunt. Rectius hinc pro gradu inflammationis ſummo ponitur, & Germanis **der heiſſe Brand** apte vocatur. Reliqua circa nomen occurrentia iam non attendimus, de re ipſa magis ſoliciti.

THES. II.

Eſt autem *gangræna* inflammatio corruptiua & ad νέκϱωσιν partis tendens, a ſtaſi ſanguinis actiuioris grauiſſima proueniens. Ad inflammationem pertinere gangrænam, phænomena oſtendunt omnia, minus recte hinc ad tumores vel vlcera, ſub quibus ab haud paucis de ea agitur, referri poteſt. Feruor enim ſeu ardor ingens & grauior, rubor intenſus, dolor vrgens, ſatis de intemperie calida teſtantur, & quanquam etiam hic, vt in aliis inflammationibus, iunctus ſit tumor, potior tamen eſt intemperies.

THES. III.

Differentiam ſpecificam largitur primo gradus inflam-

mationis, qui ſummus adeſt in gangræna, in reliquis enim mitior videtur. Cumque euentus eundem optime determinet, quatenus reliquæ inflammationes vel diſcuſſione vel ſuppuratione vel induratione finiuntur, in hocce vero gradu ſummo, ſibi relicto, ſemper corruptio & νέκρωσις partis ſequatur, idem illius loco ponitur commode. Reliquæ differentiæ ſpecificæ a cauſis deſumptæ ſunt, & in harum explanatione clariores euadent.

THES. IV.

Affici autem gangræna omnes omnino partes queunt, quæ vaſis ſanguiferis gaudent, tam externæ quam internæ. Hinc cerebri, viſcerum, aliarumque partium internarum gangræna fuit obſeruata. Ex externis autem partibus quælibet quidem ita corripi queunt, magis tamen extremæ, vt labia, penis, ſcrotum, manus, pedes, eorumque digiti. Speciatim vero ſanguis magis in partibus laudatis στάσιν concipiens malum ſuſtinet, qui, vt caloris naturalis, ita & huius nimii, fons exiſtit.

THES. V.

Cauſa immediata gangrænæ eſt ſtaſis ſanguinis actiuioris grauiſſima. Per ſtaſin intelligimus circulum ſanguinis in parte ita impeditum, vt eiusdem preſſio ſeu impetus vegetus quidem permaneat, imo vehementior ſæpe ſit, tranſitus vero ſeu refluxus magis vel minus intercipiatur. Quo magis igitur refluxus impeditus eſt, eo grauior eſt ſtaſis; quo minus, eo leuior. Gradus hinc ſtaſeos diuerſus diuerſum inflammationis gradum neceſſario infert, & hinc in gangræna grauiſſima ſtaſis ſummum inflammationis gradum efficit. Staſis vero talis exiſtit ſanguinis actiuioris, id eſt, qui plures partes ſalinas & ſulphureas acres in ſe con-

tinet

tinet, quæ ſi deficiant, non inflammatio nec gangræna, ſed alii affectus, per ſtaſin eiusmodi conſurgunt.

THES. VI.

Staſis autem commemorata calorem vehementiorem ideo præſtat; quia ſic ſalia, ſecedentibus & difflatis partibus lymphaticis & temperantibus, reliquis vero retentis, prædominium acquirunt, & in ſe inuicem ac intermedium ſulphur fortius & vehementius agunt illudque expandunt. Niſi enim ſanguis, ſtaſin concipiens, iamdum in ſe contineat partes illas ſalinas & ſulphureas volatiles, non poſſent ſalia prædominium acquirere, quatenus per ſtaſin hæc non generantur, ſed, præſentia ac latitantia prius, in apricum tantum prodeunt. Quodſi hinc ſalia ſint fixiora, ſulphur vero parcius & debilius, tunc per ſtaſin eiusmodi non tam efferatio eorum talis, quæ calorem maiorem & gangrænam prius inferret, ſed ſtatim νέκρωσις, ſine prægreſſa gangræna, oritur. Vti & ſalibus vel deficientibus, vel terreis aut pituitoſis partibus magis occultatis, & ſulphureis paucioribus præſentibus, vel fixioribus exiſtentibus, & volatilioribus per ſtaſin ſecedentibus, a ſtaſi hac nec gangræna nec ſphacelus, ſed ſcirrhus vel alius tumor fit.

THES. VII.

Non autem attritus ſanguinis arterioſi in vaſis capillaribus ſtagnantis a motu reliqui cruoris moti calorem illum facere poteſt. Affluxus enim ſanguinis ad partem inflammatam tamdiu tantum, quamdiu tumor augetur, maior quam refluxus fit. Tumore autem in eadem magnitudine perſiſtente, & parte ſic a ſanguine penitus repleta, affluxus ſanguinis eiusdem refluxui æqualis eſt. Quodſi enim partis inflammatæ fibræ a ſanguine accedente expandi amplius

pliut nequeunt, spatium omne sanguini affluenti denegatur, nisi tantum ex parte exeat, quantum accedit. Quo minor vero est stasis, eo liberior est effluxus, adeoque & affluxus, tumore iam facto. Quo maior vero est stasis, eo minor est refluxus, adeoque, tumore iam facto, etiam minor affluxus. Igitur, si ab attritu sanguinis stagnantis per motum reliqui cruoris fieret calor in inflammatione, necessario maior deberet esse fiente tumore, quam facto, in leuiori stasi, quam grauiori. Nam attritus sanguinis inclusi a sanguine reliquo fieri nequit, nisi hic ad illum accedere queat. Magis autem accedit ad illum tumore fiente, quam facto, in stasi leuiori, quam grauiori, & contra, adeoque deberet ibidem calor esse maior, hic minor. Verum contrarium docet experientia, tumore enim penitus facto & stasi grauiori præsente calor maior est. Imo, si stasis grauissima est, vt in gangræna nostra, tumore facto, affluxus nullus fere reliqui sanguinis, ob effluxum stagnantis denegatum, adeoque nec attritus, fieri potest, calor tamen adest summus. Ergo attritus ille caloris in inflammatione, & speciatim gangræna, caussa esse nequit. Minus etiam calor in inflammationibus auctus motui vitali tonico aucto adscribi potest, cum hic non, nisi mediante motu sanguinis progresiuo aucto, eiusdem calorem augere queat, hoc autem loco, per iam dicta, sanguinis stasin concipientis motus progresiuus imminutus, minime vero auctus, sit. Repugnaret enim, stasin & motum progresiuum auctiorem sanguinis eiusdem vna adesse.

THES. VIII.

Corruptiuam & ad νὲκρωσιν tendentem inflammationem stasis hæc grauissima facit, quoniam restitutio proportionis

portionis partium ſanguinem conſtituentium turbatæ fieri non poteſt, ſed ſulphur agitatione hac nimia magis magisque deſtruitur. Reſtitutio autem proportionis fieri nequit, quia ob ſtaſin grauiſſimam & refluxum maxime impeditum tum acceſſus noui ſanguinis vitalis, tum ſeparatio & correctio ſalium, obtineri haud poteſt. Diſſolutio igitur & receſſus partium conſtituentium vt ſuccedat, neceſſe eſt, in qua conſiſtit ipſa corruptio, ad quam tendit. In reliquis enim inflammationibus refluxus minor quidem, aliqualis tamen præſens eſt, vnde de nouo accedens ſanguis vitalis huic ſtagnanti miſcetur, eiusque proportionem, vel talem certe, quæ internecionem non ita ſubit, conſeruat, partim ſalia corrigendo & aliquo modo temperando, partim euehendo & ſic ad excretionem e corpore apta reddendo.

THES. IX.

Oritur talis ſtaſis grauiſſima vitio vel ſanguinis vel viarum. Sanguinis culpa fit, ſi nimis acris & rarefactus ſit, ſeu particulis biliofis ſalinis concentratis & copioſis nimis ſcateat, & præcipiti ac maiore impetu ad partem quandam propellatur. Tunc enim partim ob rarefactionem nimiam & velociorem acceſſum tam cito per poros penetrare non valens accumulatur in parte, fibras diſtendit, & ſic ſibi ipſi obicem ponit, infarctumque auget, partim acrimonia ſua fibrillas ſtimulando & criſpando poros arctat, ſero vero difflato ad grumeſcentiam pronior redditur, vt per anguſtiores vias penetrare haud poſſit. Gradus huius acrimoniæ etiam variat, grauiſſimus enim ſi adeſt, decubitus ad partem ſponte, vel cœco ductu & caſu fortuito, vel ob debilitatem eiusdem, contingit, & gangræna ſtatim ori-

tur. Remiſſior autem paulo gradus huius acrimoniæ ſi præſens ſit, per ſe quidem ac ſponte gangræna haud facile fit, leuis tamen ſtaſis, a quacunque cauſa inducta, grauiſſimam tunc ex improuiſo, adeoque gangrænam, infert. Illud videtur in ſcorbuto grauiori, vnde gangræna ſcorbutica, febribus malignis, peſte, & ſimilibus, hoc in ſubiectis ſcorbuticis, vbi quidem mitior, ſufficiens tamen ad hæc, gradus adeſt. In his enim leuis læſio v.g. vulnus, contuſio, applicatio veſicatoriorum, corroſiuorum, abſciſſio claui pedis improuida, vlcus, ob acrimoniam maiorem ſanguinis iam præſentem, ſtaſin grauiſſimam facit, quæ in aliis inflammationem mitiorem vix excitaret. Multo magis vero leuior in talibus conſurgens & apparens, & adhuc citius & certius grauior paulo, inflammatio ad gangrænam ruit. Salia enim copioſiora & acriora aliquomodo, circulo ſanguinis libero exiſtente, domita & ſubiugata ſtatim per leuiorem ſtaſin eminent, & hanc maiorem reddunt grauiſſimam.

THES. X.

Quæcunque itaque ſanguinem ita acrem reddere norunt, vel alias, vel affectus laudatos prius excitando, ad cauſas remotiores pertinent, vnde temperamentum calidius, ætas vegetior, ſuo modo etiam ſenilis, vappeſcentibus tunc humoribus, habitus carnoſus & gracilior, aer calidior, vt & frigidus, victus calidior, motus vehementior, vigiliæ excedentes, animi motus vehementiores, effluuia acriora retenta, ſeroſa vero nimis diſſipata, ſeorſim vel coniunctim, morbi ſuperius laudati, venena roſiua, vel aſſumpta vel morſu vel alia ratione communicata &c. id facere valent.

THES.

THES. XI.

Viarum vitio ſtaſis grauiſſima emergit, ſi vaſa nimis vel anguſtentur vel lacerentur. Anguſtatio nimia dum tranſitum prohibet, per ſe patet, quomodo ſtaſin faciat grauiſſimam. Laceratio autem nimia viam præcludit, quoniam tubuli flexilis & mollis lacerati pars altera contentum liquorem quidem emittit, ſed altera pars abrupta vel lacerata non iterum admittit. Humor enim accedens extremitates laceras ipſi aperturæ impellit, & eandem ita obſtruit, adeoque intrare haud poteſt. Anguſtatio viarum nimia inducitur ab inflammatione maiori iamdum præſente, vt & eryſipelate, potisſimum ſi male tractentur; item a frigore maiori paulo, & eo promtius, quo magis vna ſanguinem in parte condenſat & ad grumeſcentiam diſponit. Talem quoque anguſtationem nimiam efficit compresſio nimia, ſiue a ligatura fortiori & diuturniori, ſiue ab aliis, vt in hernia incarcerata, eueniat. Et hæc eo magis damnoſa & nimia eſt, quo magis pars debilitata, vel plures tubuli lacerati iam ſunt, vnde deligatio chirurgorum inepta gangrænam prompte poſt ſe trahere videtur. Tandem a criſpatura fibrillarum circa poros & vaſa exiſtentium anguſtatio nimia prouenit. Hanc vero præſtat vel acrimonia ſalina, vel ignis, vel punctura partium neruoſarum. Acrimonia ſalina maior quæcunque, ſiue in parte generata, v. g. inflammatione ſimplici præſente ſi applicentur poros conſtipantia, ſiue aliunde accedens, dum vellicat fibrillas, earum contractionem & criſpaturam & inde anguſtationem facit. Ignis motu ſuo celerrimo penetrat, humidum disſipat, fibrillas pungit, irritat, contrahit & criſpat, vnde ambuſtiones grauiores gangrænam facile inferunt.

Punctura fibrillarum neruearum, siue nerui ipsius, siue tendinis siue membranæ nerueæ, dolorem vehementissimum & stricturam conuulsiuam partium circumiacentium, & inde angustationem nimiam, excludit.

THES. XII.

Lacerationem vasorum & tubulorum grauiorem præstant contusiones, fracturæ, rupturæ, vulnera, corrosio, ambustio, singula grauiora. Ex hisce causis recensitis omnibus quo plures coniunguntur, eo præsentius malum hoc oritur, & præprimis si humorum superius tacta vitia concurrant. Possunt tamen læsiones hæ grauiores, optime alias sanguine se habente, in eiusmodi statum abire, maxime si negligantur, nec rite curentur.

THES. XIII.

Gangræna differentiam habet variam, est enim vel simplex vel scorbutica vel maligna. Ista est, quæ contingit sanguine alias bono existente, illa a scorbuto, hæc a fermento maligno dependet. Alia est a causa externa, alia ab interna, alia ab vtraque. Alia præuisa, alia inopinata, statim ex improuiso accedens. Porro vel manifesta est, exterius se exerens, vel occulta, latitans. Ratione subiecti est vel stationaria, quæ in parte affecta permanet & subsistit, vel progressiua, vlterius pergens partes vicinas occupans & sic citius latius serpens. Primaria est, si ab alio morbo præcedente non consurgat, symptomatica, si cui superueniat, vt vulneri, fracturæ &c. Est quoque vel incipiens, vel iamdum ad sphacelum abiens, vbi quædam fibrillæ emortuæ iam sunt.

THES. XIV.

Manifesta & obuia si sit gangræna, his phænomenis deprehenditur: *rubor* haud floridus adest, vt in aliis inflammationibus, sed intensus magis, subliuidus vel subnigricans etiam, *feruor* partis seu ardor vehemens & grauior longe, quam alias in inflammatione ordinaria, *tumor* magnus & valde durus, *dolor* vehemens ac vrgens, cum pulsatione. Timenda gangræna est, si inflammatio vel læsio grauior adsit, & eo magis, quo magis acriori & feruidiori sanguine æger gaudet. Latens & internis in partibus eueniens gangræna difficilius cognoscitur, produnt tamen eam febris aucta, dolor & ardor partis vehementior, nonnunquam autem tam subito inualescit, vt citius mortem adferat, quam signis se prodat. Quodsi vero color magis reddatur nigricans, pars flaccescat, calor & sensus imminuatur, pustulæ appareant, iamdum ad sphacelum & νέκρωσιν partis abit.

THES. XV.

Periculosum ac interitum minans malum est gangræna, magis tamen si corpus scorbuticum, vel alias valde cacochymicum, corripiat, si progresſiua sit, si partes nobiliores ac internæ ita afficiantur, si causa eius grauior ac maligna, si vires deficiant, aliique morbo periculoso ac graui iungatur vel superueniat. Symptomatibus hinc grauioribus tunc apparentibus, vt lipothymiis, anxietate, debilitate maiori, deliriis & similibus, conclamatum est. Melior spes affulget, si ceteroqui sanus sit æger, pars externa ignobilior affecta, læsio alia grauior & causa maligna prægressa absit, mature auxilium debitum feratur, ætas, vires, omniaque consentiant, nec transitus ad sphacelum iam appareat.

THES. XVI.

Acutus admodum morbus exiſtit, &, niſi ſubito ſuccurratur, breuisſimo tempore mortem infert. Nam intra paucas horas vel dies necat, aliquando tamen tardius paulo mortem poſt ſe trahit, pro circumſtantiarum reliquarum varietate. Maturum quoque auxilium ſi factum ſit, breui tollitur, quanquam effectus eius morboſus relictus curationis moram ſufficientem poſtmodum requirat.

THES. XVII.

Proprie dicta enim gangræna vel in vlcus ſphaceloſum vel in ſphacelum abit. Vlcus ſphaceloſum eſt, ſi quædam tantum partis fibræ, plures vel pauciores, vna cum interpoſito ſanguine emoriantur & corruptionem putrilaginoſam ſubierint, reliquis nondum ita affectis, quod tamen breui contingere ſolet, ſi ſibi relinquatur. Hoc vlcus a plurimis ſub ipſa gangræna ad talem gradum perueniente comprehenditur, quod liberum omnino eſt. Si in tali ſtatu parte exiſtente σῆψις aliquo modo expediatur, pus generari ſolet, quoniam ſanguini acceſſu iterum aliquali & tranſitu conceſſo, proportio ſanguinis ſubſiſtentis in tantum conſeruatur, ne corruptio, ſed tantum ſuppuratio, eueniat, vnde in bonis eſt, ſi pus bonæ notæ in tali vlcere appareat. *Sphacelus* vero eſt perfecta & totalis partis νέκρωσις, a communicatione huius cum humoribus & ſpiritibus vitalibus prorſus ablata proueniens, præuia gangræna vel minus.

THES. XVIII.

Quanquam hinc gangræna ordinarie & fere ſemper, niſi præcaueatur, in ſphacelum abeat, non tamen ſphace-

lus vnice a gangræna dependet, ſed ab aliis etiam, ſine gangræna prægreſſa, oritur, adeoque quædam de hoc addere lubet prius, quam ad curationem accedamus, vt exactius omnia ſibi conſtent. Neque tamen opus erit, vt plura de nomine ſphaceli afferamus, quod a σφάττω interficio prouenire cenſetur, & Germanis der kalte Brand appellatur, cum lucem rei maiorem affundere nequeant.

THES. XIX.

Subiectum ſphaceli ſunt non ſolum illæ partes, quæ in gangræna afficiuntur, ſed ſpeciatim omnes omnino earundem particulæ, dum non ſolum fluidæ ſed & ſolidæ, imo oſſa, a ſphacelo vita priuantur, verbo, tota pars penitus deſtructionem putrilaginoſam ſubit.

THES. XX.

Immediata ſphaceli cauſa eſt communicatio partis affectæ cum humoribus & ſpiritibus vitalibus prorſus ablata. Vti enim partium omnium vita a ſanguine & ſpiritibus bene ſe habentibus dependet, ita communicatione horum plane denegata vita quoque perit. Igitur ipſe ſanguis in partibus his penitus ſubſiſtens, cum circulari & reliquo miſceri nequeat, breui vitalis eſſe deſinit ac diſſoluitur, & hinc partes continentes ac reliquæ vita ſic priuantur & prompte putredine corripiuntur.

THES. XXI.

Denegatur autem partis affectæ communicatio cum humoribus & ſpiritibus vitalibus ob ſtaſin ſanguinis, ſalinis particulis abundantis, grauiſſimam tamdiu durantem, donec proportio ſanguinis vitalis penitus ceſſet. Quamdiu hinc ſanguis, ſtaſin eiusmodi concipiens, proportionem

vita-

vitalem aliquomodo ſaltim ſeruat, tamdiu abeſt etiam ſphacelus. Hac enim adhuc præſente communicatio aliqualis ſaltim obtinet, & hinc vita quoque. Sanguis enim ſubſiſtens non in momento vitalis eſſe deſinit, quoniam partes conſtituentes non tam ſubito diſcedunt, & is reliquo appellenti vegeto & vitali ſanguini adhuc contingu{us} eſt. Haud tamen diu ita permanere poteſt, ſecedunt enim partes ſpirituoſæ & lymphaticæ, nec reſtitui ob ſtaſin queunt, hinc proportio mutatur, ſalia liberantur, & diſſolutio gradatim, celeriter tamen, ſequitur. Latitantibus autem in ſanguine ſtagnante particulis ſalinis & ſulphureis copioſis volatilioribus, per ſuperius dicta gangræna prius conſurgit, & ſtaſi non remota ſed permanente, abſolute ſphacelus ſequitur. Fixiori autem ſtatu ſalium & ſulphuris, vel vnico ſaltim ſale, ſiue acido ſiue alcalico, eminente, ſeparato & cauſtico euadente, ſulphureque depreſſo, ſine efferatione caloris præcedente diſſolutio & proportionis ſanguinis vitalis ceſſatio euenit.

Thes. XXII.

Staſin grauisſimam tamdiu durantem inferunt omnes cauſæ in gangræna ſtaſin facientes & ſuperius recenſitæ vel grauiores, quam vt tolli & remoueri posſint, vel neglectæ & ſic inualeſcentes, vel inconuenienti curatione deteriores redditæ. Eædem ex illis, quæ rarefactionem coniunctam non habent, ſtatu ſanguinis fixiori vel antedicto modo ſe habente, ſine præuia gangræna, ſphacelum excludunt. His addi debet defectus partium ſpirituoſarum & balſamicarum ſanguinis, vt in paralyſi, hemiplexia, ſenibus, vbi impulſu debito ceſſante vel ob compresſionem, etiam a ſolo decubitu, longiorem vel alias quoque ſanguis

in

quadam ſubſiſtit, & corruptionem ſeu diſſolutionem ob abſentes partes balſamicas breui absque efferatione caloris ſubit, inprimis in extremis.

THES. XXIII.

Imminentis & incipientis ſphaceli notas §. XIV. adduximus, præſentis autem & perfecti cognitio in externis partibus facilis eſt, in internis vel coniectura artificioſa vel poſt mortem demum deprehenditur. *Calor* enim vitalis plane abiit & in frigus mutatus eſt. *Color* nigreſcens & liuidus, in ambitu pallidus apparet. *Tumor* mollis flaccidus. *Senſus* prorſus abolitus, vt etiam ſecta & puncta pars nihil percipiat. *Motus* ab his muſculis dependens abeſt omnis, licet pars emortua & corrupta a muſculis in ſana parte hærentibus moueri aliquando posſit, quod ne fallat, reſpiciendum.

THES. XXIV.

Eſt vero & ſphacelus vel ſtatarius, conſiſtens in parte, vel progresſiuus, repente ex exigua particula ita affecta in vicinas partes abiens & eodem modo interimens. Hoc autem a diuerſa ſanguinis intemperie prouenit. Si enim corruptione ſeu diſſolutione plenaria facta emergant ſalia corroſiua cauſtica, tunc partium vicinarum vaſa capillaria tenerrima ſtatim inde deſtruuntur, & ſanguis, ibidem ſtaſin contumacisſimam ob vaſa deſtructa ſubire coactus, fermentatiua corrupti ſanguinis vi, & textura ipſius apta concurrente, ſimilem mutationem ſubit breuiſſimo tempore. Hoc facto & eodem acrimoniæ cauſticæ gradu acquiſito iterum vicinas partes ita aggreditur, & propagatio continuatur, calore ipſo vicinarum partium vitali actiuitatem ſalium cauſticorum augente. Sin autem diſſolutione & de-

destructione sanguinis peracta, ob minorem paulo salium concentratorum præsentiam vel aliam miscelam inde euenientem, sal causticum haud ita consurgat, vel subsistit vel saltim tardius progreditur. Ab hac itaque potius causa progressus sphaceli celerior dependet, quam a desertione seu destitutione naturæ in his partibus, cum mederi illis nullo modo possit. Si enim a natura, per quam animam rationalem intelligi volunt, distituat partes vicinas in tali statu, nec motiones tonicas vitales suscipiat, cum frustraneas deprehendat, eadem omnino celeritate progressus sphaceli contingere deberet, quia nunquam restitutio partis sphacelatæ sperari potest, quomodocunque se habeat sphacelus.

THES. XXV.

Pars sphacelo destructa restaurari nullo modo potest, sed vel sponte a reliquis viuis separatur ac abscedit, suppuratione in viuentibus adhuc vicinis partibus consurgente, vel auferri debet per chirurgiam. Hoc nisi fiat, per ante dicta progressus spaceli, tardior vel celerior, toti corpori internecionem adfert. Si autem talem partem occupauerit, quæ ita secedere aut remoueri arte haud potest, vt reliquum corpus superstes sit, absolute mortem totius infert.

THES. XXVI.

Tempus, quod obseruare solet, variat pro acrimonia fermentatiua maiori vel minori, citius enim progrediens breuius tempus habet & contra. Tardius autem incrementum capiens vltra dies quadraginta haud facile protrahitur, quin vel, ne mortem inferat, superetur, vel finem vitæ imponat. Modus euentus ad salutem iam tactus est, separatione nempe partis emortuæ contingit, ad mortem vero

vero ſi corpus perducat, principia vitalia in toto deſtruit.

THES. XXVII.

Curatio gangrænæ in eo conſiſtit, vt mature ſtaſis grauiſſima expediatur, corruptio auertatur & pars affecta ſibi reſtituatur. Ad omnia hæc obtinenda interius faciunt diaphoretica, ſudorifera, bezoardica, reſoluentia, balſamica, ita tamen, vt ſpeciali ſcopo conuenientiora ſemper ſeligantur. Hæc enim ſanguinem fluxiliorem, temperatioremque reddendo ſtaſin expediunt, eius proportionem per ſeparationem & difflationem partium peregrinarum actiuarum exuperantium reſtituunt, adeoque corruptionem arcent, & vigorem parti affectæ, elaterem eius & partes ſpirituoſas blandas reſtituendo, conciliant. Laudantur hoc nomine tam volatiliora, vt ſpiritus C. C. ſimplex, proprio ſale acuatus, in liquorem ſuccinatum additione ſalis volat. ſuccini redactus, cum ſpiritu tartari in liquorem bez. abiens, reliquique ſpiritus volatiles, eboris, viperarum & ſalia horum volatilia, camphora ipſa ſumme ſpecifica, rite adhibita; quam media, vt tinctura bezoardica, mixtura ſimplex, rectificata, eſſ. ther. balſam. eſſ. myrrh. ſuccin. lignor. elix. propriet. & fixiora, antimon. diaphoret. mercur. diaphor. c. c. philoſ. præp. ebur ſine ign. pulueres bezoardic. pulu. Pannon. rubr. diaſcord. theriac. &c.

THES. XXVIII.

Volatiliora ex his an media & fixiora in ſtatu præſenti ex vſu ſint, circumſtantiæ in ægro præſentes monent. Efferatiori enim ſanguine in toto præſente, ex acerbari ille volatilioribus haud debet, quæ magis fixiori

ſtatui congrua ſunt, ſed media & fixiora in vſum vocentur. Imo volatilioria ſi requirantur, rectius illis interponuntur fixiora & temperantia, ne efferatio inde fiat damnoſa. Ita, ſi a morſu animalis venenati timenda ſit gangræna, in principio medicamentum volatilius vtile eſt, quod ſubito penetrat, & diſcuſſionem illati miaſmatis præſtat, in progreſſu autem media & fixiora vſurpanda ſunt. Ita in febribus, vbi efferatiores iamdum ſunt humores, mediis & fixis vtimur, omittimus volatiliora. Camphora vero, moderata doſi & cum aliis propinata, efferationem haud ita auget, temperat enim acrimoniam roſiuam, vt in cantharidum noxa id egregie oſtendit.

THES. XXIX.

Rarius euacuantia alia ad ſtaſin hanc diſſoluendam commoda reperiuntur, niſi alia iuncta talia poſtulent. Ita purgatio ad acrimoniam humorum minuendam in gangræna ſcorbutica timenda magis, quam iam præſente, conuenit. Lenientia vero indicata quouis in ſtatu vtilia deprehenduntur. Ita venæ ſectio magis ad præſeruandam gangrænam mature repellendi fine inſtituta, indicata tamen, prodeſt, quam curandi, niſi alia adſint, quæ eandem vrgent.

THES. XXX.

Magis vero huic ſcopo inſeruiunt, alterantia reliquis dictis vel adiecta, vel ſeorſim adhibita, ſi ſtaſis hæc ab acrimonia vel rarefactiua febrili & defectu ſeri blandi, vel ſcorbutica foueatur. Ibi enim diluentia, humectantia & temperantia, hinc & acidula & nitroſa, hic vero antiſcorbutica & balſamica, conueniunt. Vti & vulnere, contu-

ſione,

ſione, vel ſolutæ vnitatis ſpecie alia præſente, traumatica, reſoluentia, antipleuritica, diaphoreticis & bezoardicis remixta & ad præſeruationem & ad remotionem ſtaſeos gangrænoſæ recte adduntur.

THES. XXXI.

Omnia hæc, quæ ad ſtaſin expediendam pertinent, vna corruptioni auertendæ proficua ſunt, libero enim motu humoribus conciliato, corruptio eorum contingere nequit, maxime autem ex illis per ſe quoque corruptioni contraria ſunt bezoardica, balſamica, myrrhata, camphora, elixir proprietatis, eſſ. ſcordii & ſimilia, vnde nunquam negligenda hæc veniunt, a quacunque cauſa dependeat gangræna.

THES. XXXI.

Interna laudata neceſſaria ſunt, haud tamen ſufficiunt, ſed ſtatim ſimul externa indicationibus dictis apta applicanda veniunt. Ex his itaque ſtaſin expediunt & corruptionem auertunt feruorem contemperantia, reſoluentia, balſamica ac fibrillas roborantia. Palmam omnibus reliquis præripiunt ex ſpiritu vini parata, vnde ſpiritus vini ſimplex etiam laudem meretur, magis tamen adhuc conueniens eſt impregnatus camphora, myrrha, olibano & ſimilibus balſamicis, vnde ſpir. theriacal. camphor. matrical. eſſ. myrrh. conueniunt, & vel ſola hæc calida cum linteis imponuntur, vel aliis huc facientibus miſcentur. Eidem ſcopo enim inſeruiunt fotus ex aceto ſaturniſato, decocto nigro chirurgorum, decocto calcis viuæ vel ſolo vel cum ſulphure cocto, aceto cum ſcoriis antimon. cocto, decocto ſalis ammon. ex vrina ægri, muria ſeu brodio

brassicæ acidæ seu muriatæ, decocto ex balsamicis & resoluentibus v. g. scordio solo, vel ex rad. angel. galang. bryon. arist. rot. vincetox. carlin. scorzon. herb. scord. alliar. abroton. rut. absinth. nicotian. ror. mar. hyssop. salu. fl. chamom. sambuc. millefol. rosar. summit. centaur. min. sem. vrtic. lupinor. fabar. mastiche, myrrha, olibano, vitriol. sacch. saturn. lithargyr. ceruss. alumine, sale communi, sale ammoniaco, ex quibus varie iungi & præscribi possunt intentioni congrua, coquendo cum aqua simplici vel marina & aceto vini, vel lixiuio & aceto, vel lixiuio & vino adiecto postmodum spiritu vini. Fotus ex his parati meliores fere sunt, si tamen cataplasma ex vegetabilibus dictis quis parare velit, facile id factu erit. Talia autem medicamenta sulphurea balsamica & sale enixo seu medio gaudentia putredini arcendæ, & resolutioni sanguinis, & roborandis fibrillis adhuc integris, aptissima sunt.

THES. XXXIII.

Speciatim autem in malo a frigore orto, si nondum corruptio inchoata & pars liuida ac frigida sit, sed rubor, dolor pungens & vrens adhuc adsint, statim, priusquam ad ante dicta accedamus, coagulum a frigore inductum successiue resoluendum, cum alias ad corruptionem magis subito ruat. Hinc admouenda tunc est aqua frigida, vel nix, vel glacies, vel brassica, vel rapæ congelatæ. Hoc obtento, vel si tempus ad illud præstandum iamdum præterlapsum sit, ad dicta abire debemus. Compressio nimia si adsit & foueat, statim remouenda, hinc ligatura maior laxanda, vel alia compressionis causa præsens tollenda. Non minus etiam imposita inconcinna in inflammationibus, quæ exhalationem im-

impediunt & ſtaſin augent, citius reiicienda veniunt. Ambuſtione prægreſſa grauiori, in principio temperantia magis locum habent, omisſis acrioribus, vbi vnguentum de lithargyrio inſigne eſt. Et ſic reliquis quoque affectibus præcedentibus, vt puncturæ neruorum, morſui animalium &c. ex ſuis loculis ita ſatisfaciendum, ne gangræna inducatur, vel imminens vt arceatur.

THES. XXXIV.

Præſens vero iamdum & incepta corruptio ſi ſit, hæc quoque auertenda, & progreſſus impediendus eſt. Id vero fit per ea, quæ ſeparationem particulæ corruptæ præſtant & promouent. Hoc fine ſcarificatio partis affectæ ad particulam ſanam vsque inſtituitur, præmiſſis fotibus ſuperius dictis, & iisdem liquoribus eluitur particula ſcarificata. Poſtmodum applicatur vnguentum Ægyptiacum vel per ſe vel ſolutum in ſpiritu vini, ſimplici vel camphorato, theriacali, eſſent. myrrhæ &c. Cuius loco, inprimis ſi non ſatisfecerit, alii ſpiritum ſulphuris vt *Riuerius Cent. I. Obſeru. LXXIV. Hoffm. meth. med. p.412.* alii ſpiritum ſalis rectificat. vel ſimplicem vel compoſitum, qualis ab eodem *Hoffm.* l. c. p. 413. deſcribitur, vel butyrum antimonii, quo tantum circularis particulæ corruptæ illinitio fit, vel ex mercurio parata, vel lapidem infernalem, vt *Muſitanus* facit, adhibent. Caute tamen & prudenter hæc adminiſtranda ſunt, & particula adhuc integra defendenda vna, vnde fotus ſuperius laudati ſimul continuandi veniunt ſedulo. Separationem etiam iuuant olea penetrantiora particulæ corruptæ applicata, vt ol. caryophyll. cinnamom. terebinth. &c. Ne dicamus, cauterium actuale a quibusdam laudari, quod ra-

rius

rius admittitur, &, debita prudentia adhibita, quandoque locum habere poteſt.

THES. XXXV.

Separatione apparente remotio apta præſtanda, & vt vlcus poſtmodum malum tractandum balſ. Peruuian. balſ. ſulphuris, vnguento diapomphol. aliisque tunc neceſſariis, non intermiſſis, ſed continuatis, fomentationibus recenſitis, vbi tandem conſolidatio & reſtitutio partis in integrum conſequitur.

THES. XXXVI.

Sphacelus autem ſi, vel dictis neglectis vel ob malum vehementius & rebelle, acceſſerit, nullum amplius ſupereſt remedium, quam partis ipſius amputatio, quæ tamen ipſa haud ſemper locum habet, ſed tunc demum, ſi maſſa ſanguinea reliqua adhuc eſt integra, pars talis ſit, vt remoueri queat, vires, ætas & reliqua conſentiant.

Quæ quidem, vt & modus eiusdem, latius addi deberent, ſed, cum tempus iam meditationibus haud concedatur, quin potius vrgeamur, ad limam haud reuocata impreſſioni tradere, alii occaſioni exactiorem tractationem eorum, quæ deſunt, reſeruamus.

S. D. G.